



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Ab equis & vinis mala in autores reuersa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Quia & ipse quoque postea tyrannus Phalaris, eidem tauro inclusus, & in cinerem redactus est. Quod supplicium inimico itidem suo Pœta imprecatur:

Viq; ferox Phalaris, linguâ prius ense resecta,

Mors bouis Paphis clausus in ære gemas.

Aristides, apud Plutarchum author est, Agestam Siciliæ oppidum fuisse, in quo principem locum tenebat Æmylius Censorinus, qui noui tormenti inuentores muneribus cumulabat. Cui cum Aruntius Patereculus equum ex ære factum ad fontes perimendos excogitasset, eiusdem iussu primus eò coniectus est, & ibidem vsulatus, Æmylio ingeniosus, sibi damnosus. Idem quod Thrasillo contigit, euenit Pygmalioni; qui quòd docuisset, Deorum aras hospitiùm sanguine irrigandas; eas ipse quoq; suo cruce coactus est foedere:

Frater ut Antai, quo sanguine debuit, aras

Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.

Idem Ouid.
in Ibin.

Sciron immanissimus latro, in Attica, a Theleo ia mare præcipitatus est, quò prius hospites ipse præcipitabat; cuius idcirco ossa in scopulos mutata franguntur. Tutus ex eò Atticæ limes

Composito Scirone patet: sparsisq; latronis

Terra negat sedem, sedem negat ostibus unda:

Qua iactata diu fertur durasse vetustas

In scopulos, Scopulis nomen Scironis inheret.

Ouid, lib. 7.
Metam.

Crudelissima canuntur fuisse Diomedis præsepia, nam ibi equos suos humano sanguine pavit. Tandem ergo & ipse Diomedes ab Hercule datus est in pabulum suis equis. Fabula hæc dici potest; historia tamen fit sæpe apud eos, qui subditorum suorum sudore & sanguine equos ad delicias pascunt. Quid deinde mirum, si & ipsi ab equis perimantur, vel percussi, vel excussi? Icarus pater Erigones, cum Atticis vsu vini tradidisset, ab eisdem in ebrietatem lapsis interfectus est. Hinc illæ Diræ:

Muneribusq; tuis laderis, ut Icarus, in quem

Intulit armatas ebria turba manus.

Ouid, in Ibin.

Fit sæpe etiam ex hac fabula historia. Quoties enim, qui alterum potando cogit vires, & sanitatem, & vitam ipsam perdere, ipse vicissim vino vires, sanitatem, & vitam perdit? Quot enim culullis

alterum vrget, toridem ipse vrgetur; raroq; torquet alium mero, qui non & ipse torquetur. Quia ergo par numerus poculorum per vtrumque transit, par etiam plerumque inuadit vtrumque numerus morborum. *Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui feneat? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui conuuantur in vino, & student calicibus eposandis?*

Prou. 23. 29.

VI.

Accersitum hoc malum stultis stultitiam suam ostendit. Cur enim alterius procurant ebrietatem, si nolunt ipsi inebriari? Cur alteri podagram, ehiragram, lippitudinem & assiduas rubentium oculorum lachrymas conciliant; nisi vt, dum ipsi vicissim propinando, velut datatim ludunt, tantundem sibi materiae affundant, pro lippitudine, & oculorum suffusione acquirenda? Quod etiam in alijs rebus solet contingere. Nam & qui ad duella se prouocant, quid aliud expectant, nisi vt vulnerent, & vulnerentur? Superbus quoque, dum alios despicit, despicitur. Et quisquis odio se ardere ostendit, fit alijs odiosus. Quin & auaritia simili talione punita. Stultitiam suam prodit. Fertur Antuerpiae quidam nimius pecuniarum amator, &, nisi me memoria fallit, opulentus mercator, haud ignobilem ad sese accersuisse pictorem, a quo volebat effigiem suam, ad viuum depingi. In laboris pretium duodecim pepigit Philippæos, sed ea conditione, vt bellè pingeret atque accuratè. Sin autem secus, nihil ei se daturum edixit. Data acceptaque est eonditio. Statuto die, sedit mercator, stetit ad tabulam pictoris, omnemque operam & artem adhibuit, vt hominis lineamenta ad amussim exprimeret, nec vnum vel in barba, vel in capitis coma pilum imprudens præteriret. Capite satis delineato, cetera corporis domi absoluit. Interea, vt vitia plerumque vitijs repugnant, in pectore mercatoris magnum inter superbiam & auaritiam extitit certamen. Animi tumor gaudebat, quòd se ipsum mercator identidem in effigie sua posset intueri, & egregium illum, diuitemque Eucratem admirari, si imago coloribus suis absoluta afferretur. Auarities mirè dolebat, quòd duodecim Philippæi, sine omni necessitate, essent profundendi, cum præsertim mercator, vtique longè accuratiùs, & natura non errante, simulachrum suum in speculo expressum, quoties vellet, posset contemplari. Victa est ab auaritia superbia. Poenituit eum pepigisse; & tantò magis, quia, postquam